

**www.e-rara.ch**

**In hoc op ere contenta Apicii Caelii De Opsoniis Et Condimentis, Sive Arte  
Coqvinaria, libri X**

**Apicius, Marcus Gavius**

**Tigvri, Anno M. D. XLII**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: V Q 159

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-198>

Annotationes in nonum librum Apicii Caelii Gabriele Humelbergio medico auctore.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Ceperotundum.) Quod minore est acrimonia, & optimum quod rotundissimum, ait Plinius.

IN CAPVT IX.

**G**Lires.) Hos olim saginare consuetos ueteres, testis est Rei rusti cæ li. 3. Varro, ubi ait: Hi saginantur in dolijs, quæ etiam in uillis habent multi, quæ figuli faciunt multo aliter, atq; alia, quod in lateribus eorum semitas faciunt, & cauum, ubi cibum cõstituant. In hoc dolium addunt glandem, aut nuces iuglandes, aut castaneam. Quibus in tenebris, cum cumulatim positũ est in dolijs, fiunt pingues. Porro mensis illatos colligitur ex Plinio li. 8. c. 57. cũ ait: Glires censoriæ leges, princepsq; M. Scaurus in consulatione non alio modo cœnis ademere quam conchylia aut ex alio orbe conuectas aues. Semiferũ & ipsum animal, cui uiuaria in dolijs idem qui apris insituit. Glires somno pinguescunt per hyemem uehementer, auctore Aristotele. Vnde Martialis est distichon hoc: Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Ificio porcino.) Scilicet farcies.

Trito.) Lege, tritis.

ANNOTATIONES IN NO

NVM LIBRVM APICII CAE

lij Gabriele Humelbergio Medico auctore.



**H**alassa, id est, ἁλασσα, mare. Quo nomine insignitus est hic liber, eo quod in ipso de piscibus marinis & salsis condendis & preparandis doctrina contineatur.

IN CAPVT I.

**I**N locusta.) Scilicet marina, quæ Græce Carabus dicitur. Est autem in piscium sanguine carentium & crustatorum cancrarioq; genere maxima, astaco siue (ut Theophrastus uertit) cammaro similis. Aristoteles lib. 4. de historia, Crusta intectorum, inquit, genus primum carabos: cui proximum genus alterum quem astacon uocant. Differt is à carabo, hoc est, locusta brachijs quæ denticulatis forcipibus protendit: atq; etiam quibusdam alijs discriminibus quanquam non multis. Sunt autem crustata ut cammari, paguri, cancri, locustæ, squille, omnia mensis conuenientia, auctore Paulo

Argineta,

Aegineta, sed coctu difficilia: ac si sæpe in aqua dulci clixentur aluum adstringunt.

Et cappari.) Legendū puto, & carabo, ut coniunctio illa, Et, expositiue accipiatur: Latinam dictionem tanquam minus notam, per Græcam suo tempore notiozem aut usitatiozem interpretans & declarans, sicut supra quoq; facit li. 2. ubi ait: Isficia fiunt marina de cammaris & astacis.

Induia.) Hoc est, crusta sua non exempta, sed adhuc intacta.

Elixuris.) Lego, elixaturis.

Quousq; assantur. Locusta elixa cum cuminato bene inferes: piper &c.) Legendum, quousq; assantur bene, & inferes. In locusta elixa cum cuminato. Teres piper &c.

Folium noci.) Lego, folium nardi, de quo dictum est li. 1.

Vuam.) Hoc est, oua: quæ si non discreta aspiciantur tantum, tota tanquam compositum quiddam & quasi species uue apparent.

## IN CAPVT II.

**I**N torpedine.) Torpedo piscis est inter chartilagineos planos numeratus, & à Græcis narce appellatur: nomenq; indepta est quod tum at tactu suo tum etiam procul & è longinquo torporem ingerat. Vnde Plinius li. 9. ait: Nouit torpedo uim suam ipsa non torpens, mersaq; in limo se occultat, pisces qui securi natantes obtorpuere, corripit. Huius iecori teneritas nulla præfertur. Et li. 32. idem inquit, Ex eodem mari torpedo etiam procul & è longinquo, uel si hasta uirgæue attingatur, quamuis præualidos lacertos torpescere, quamlibetq; ad cursum ueloces alligari pedes proditur. Aristoteles item de natura animalium li. 9. ait: Torpedo pisces quos appetit afficit ea ipsa quam suo in corpore continet facultate torpendi, atq; ita retardos præ stupore capit & uescitur: abdit se in harena & limo, tunc pisces qui adnatantes obtorpuerint, corripit: quam rem pleriq; conspectam à se retulerunt. Aluum mollit in cibo, authore Plinio. Difficilis concoctionis est: partes tamen quæ circa caput sunt, molles habet & stomacho conuenientes, quæ & bene concoquantur. Paruæ meliores sunt & præcipue simplici ter elixatæ, authore Diphilo.

## IN CAPVT III.

**I**N loligine.) Loligo è molluum genere piscis est, sepiæ similis, uerum oblongior & angustior, pedibus octonis breuioribus ijs quam sunt polyptus, intus per dorsum & corporis prona procurrente gladiolo cartilagineo.

Sed de hac plura libro secundo.

## IN CAPVT IIII.

**I**N sepijs.) Sepia inter pisces sanguine carentes habetur, de qua dicitur Actum est li. 2. Humorem continet intra se, quem atramentum uocant & sepium, quo aquam infuscat & turbat effuso, ut se abscondat. Aristoteles li. 4. de historia: Viscera, inquit, mollium nullis, sed habent quam mutem appellant: atrumq; illum humorem cui nomen atramentum, quod plurimum in sepia est: effundunt suum id atramentum omnia metu percussa, sed praeipue sepia. Et lib. 9. de historia idem ait: Mollium astutissima sepia est. Sola haec suo utitur atramento, non modo cum metuit, uerum etiam abscondendi causa. Polypus atq; loligo atramentum praemetu mittunt, sed accrescit de nouo postquam miserunt, ut nunquam copia desit atramenti. Quod auctore Celso alium mouet.

Condimenta coctiua.) Condimentum coctuum dicitur, quod cito & breui ebullitione coquitur: sicut olus coctuum & legumen, ratione eadem.

Sic facies eam.) Lege, Sic facies eam.

Et sicco sues.) Lege, & sic consues.

Ab alieno.) Lege, amylo.

## IN CAPVT V.

**I**N polypo.) Polypus piscis est ex mollium genere, sic dictus a pedum multitudine, quasi multipes. Polyporum multa genera, ut li. 9. tradit Plinius: Terreni maiores quam pelagij, & omnes brachijs ut pedibus ac manibus utuntur. Per quae uelut acetabulis dispersis eo hausto quodam modo cui adherescunt, tenent supini, ut auelli non queant. Vada non apprehendunt, & grandibus minor tenacitas. Soli mollium in siccum exeunt duntaxat asperum: leuitatem odere. Vescuntur conchyliorum carne: quorum conchas complexu crinium frangunt: itaq; praeciacentibus testis cubile eorum deprehenditur. Et cum alioqui brutum habeatur animal, ut quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet. Omnia in domum comportat, deinde putanina rosa carne egerit, annatantesq; pisciculos ad ea uenatur. Colorem mutat ad similitudinem loci, & maxime in metu. Ipsum brachia sua rodere, falsa opinio est: id enim a congris euenit ei. Sed rousci sicut colotis & lacertis caudam, haud falsum. Haec ille. Polypus multi alimenti est, durus tamen est & difficilis concoctionis. Elixus humectat alium, habetq; humorem

humorem quodam modo salsum, crediturq; libidinem maxime irritare, auctore Paulo Aegineta & Galeno, quoniam spiritus multos generat. Præstantiq; cum grauida sunt mollia, ut loligines, sepia & polypi.

## IN CAPVT VI.

**I**N ostreis.) Ostrea sunt è concharum genere, quæ testam asperam scabramq; habent, & carnem omnium aliorum testatorum nobilissimam, auctore Galeno. Nobiliora quæ locis capiuntur quibus dulcis admiscetur aqua, apud lautos & libidinosos in precio sunt & inter lautissimos recepta cibos, ut quibus palma mensarum diu iam tribuatur: ceu li. 32. inquit Plinius. Gaudent dulcibus aquis & ubi plurimi influunt amnes, ideo pelagia parua & rara sunt. Grandescunt syderis quidem ratione maxime: sed priuatim circa initia æstatis multo lacte prægnantia, atq; ubi sol penetret in uada. Hæc uidetur causa quare minora in alijs locis reperiuntur. Opacitas enim prohibet incrementum, & tristitia minus appetunt cibos. Præcipua uero habentur in quacunq; gente spissa nec salua sua lubrica. Crassitudine potius spectanda quàm latitudine. Neq; in luto capta, neq; in harenosis: sed solido uado, spondylo breui atq; non carnosio, nec fibris lacinoso, ac tota in aluo. Ad dunt peritiores notam ambiente purpureo crine fibras: eoq; argumento generosa interpretantur calliblephara parata appellantes. Gaudent & peregrinatione, transferriq; in ignotas aquas. Sic brundusina in auerno compacta & suum retinere succum: & à Lucrino adoptare creduntur. Hæc sint dicta de corpore. Dicemus & de nationibus, ne fraudentur gloria sua litiora. Sed dicemus aliena lingua, quæq; peritissima huius cæsura in nostro æuo fuit. Sunt ergo Mutiani uerba quæ subijciam. Cyzixena maiora Lucrinis, dulciora britanica, suauiora edulis, acriora lepticis, pleniora Lucensibus, sic ciora coryphatenis, teneriora istris, candidiora circeiensibus. Sed ijs neq; dulciora, neq; teneriora esse ulla compertum est. Stomachum unice reficiunt. Fastidijs medentur, & aluum molliunt leniter. Hæc Plinius. Celsus stomacho idoneas & aluum mouere dicit, quod & Paulus Aegineta testatur.

## IN CAPVT VII.

**I**N omne genus conchyliorum.) Conchylia nunc generale nomen est ad oēs conchas à quibus nomen accepit, & sic etiã accipit Pli. li. 2. c. 101. cū ait: Quo uera cōiectatio existit haud frustra spiritum sydus lunare existimari, et hoc esse quod terras saturat, accedensq; corpora impleat, abscedensq; maniat, ideo cū incremento eius augeri cōchylia, et spiritum sentire qui

bus sanguis non fit. Et li. 9. ait: Lingua purpure longitudine digitali, qua pascitur perforando reliqua conchyliia. Per excellentiam tamen conchylium aliquando de murice dicitur: unde uestis tineta murice conchyliata uocatur. Ceterum conchyliorum numerosa est differentia, tum testæ, tum carnis interioris ratione. Alijs enim in eo genere nulla est caro ut echinis: alijs est, sed penitus inclusa, nec usquam conspecta excepto capite ut terrestrium limacibus, & aquatiliū purpuris, buccinis, cochleis & reliquis turbinatis. Cætera aut gemina continentur testæ, aut singulari clauduntur. Sunt item quibus altera pars superficiei detecta carnem ostendit ut patellæ quæ duplici testæ continentur: pars clusilis est ut peñtunculi & mituli. Eiusmodi namq; omnia parte altera ligata, altera soluta constant, ut & concludi possint & aperiri. Alia binis quidem conclusa testis sunt, uerum utroq; latere connexa, ut ungues siue digiti. Non desunt quæ testæ tota occultentur ut nulla ex parte carnem detectam habeant, ut quæ uertibula siue tubera & callos appellamus, ipsarum etiam testarum magna ludentis nature uarietas, quam sius prosequitur li. 9. Plinius. Conchyliia omnia lunæ incremento aut decremento, augetur aut minuitur. Vnde Plinius li. 2. ca. 42. iam quidem lunari potestate ostrearum, conchyliorumq; & concharum omnium corpora augeri & rursus minui. Et Palladius in Decembri mense ait: Luna omnium clausorum maris animalium atq; concharum iubet incremento suo membra turgere. Mouent alium omnes ferè conchulæ, maximeq; ius earum, auctore Celso & Hippocrate.

IN CAPVT VIII.

**I**N echino.) Echinus inter uarias significationes suas significat etiam animal marinum & piscem è testaceorum genere, cricis uulgo dictus: forma orbicularis, spinis circumuallatus quibus pro pedibus utitur in orbem sese uoluendo, nec aliter ingreditur. Caro illi intus nulla, idq; illi peculiare, sed nigra quedam in omnibus uice carnis spectantur. Memint echini huius Martialis hoc disticho: iste licet digitos testudine pungat acuta, Cortice deposito mollis echinus erit. Verum de echinis, quorum etiam non unum genus est, authore li. 4. de historia Aristotele: Plinius lib. 9. ubi de sanguine carentibus agit piscibus, ait: Ex eodem genere sunt echini, quibus spinæ pro pedibus. Ingredi est his in orbem uolui: itaq; detritis sepe aculeis inueniuntur. Ex hijs echinometræ appellantur, quorum spinæ longissimæ, cæcæ minimi. Nec omnibus idem uitreus color. Circa toronem candidi nascuntur, spinæ parua. Oua omnium amara, quina numero. Ora in medio corpore in terram uersa.

uerfa. Tradunt seuitiam maris præſagire eos, correptisq; operiri lapillis, mobilitatemq; pondere ſtabilientes nolunt uoluntatione ſpinas atterere. Quod ubi uidere nautici, ſtatim pluribus anchoris nauigia inſrenant. Echinus marinus ſtomacho accommodatus eſt: idemq; bonam facit aluum, cientes de urinæ utilis, auctore Dioſcoride. Celfus quoq; aluum mouere teſtatur. Et Plinius li. 32. ait: Echinus ad calculos in cibis proficiunt.

Vinum dulce.) Vinum dulce quale ſit aut fiat, docet nos Columella lib. 12. cap. 27. ubi ait: Vinum dulce ſic facere oportet. Vuas legito, in ſole per triduum expandito, quarto die meridiano tempore calidas vuas proculcato, muſtum lixiuum (hoc eſt, antequam prælo preſſum ſit, quod in lacum muſti fluxerit) tollito, cum deſeruerit in ſextarios quinquaginta in bene pinſitam nec plus unciæ pondere addito, uinum à ſecibus eliquatum diffundito. Hoc uinum erit ſuaue, firmum, corpori ſalubre. Et hoc paſſi genus eſt, & in eorum cenſu, à Græcis protropū etiam uocatum. Dulcedinis nomine accepto ob egregiam ſaporis eius qualitatem. Sunt autem plura & uaria paſſi genera, ceu à Plinio traditur li. 14. ca. 9.

Ter buliat.) Lege, iterum bulliat.

Piper toſtum modice.) Legendum puto, piper, coſtum modice. De coſto autem dictum eſt li. 1.

In aqua calida coques, leuas, in patella compones.) Hæc ex uetuſto exemplari adſcripſimus.

Echinus ſalis.) Legendum, Echinus ſalfus. Dein mox pro aptabunt, legendum apparebunt.

## IN CAPVT IX.

IN merulis.) Merula piſcis eſt inter ſaxatiles laudata, turdo ſimillima, niſi quod merula nigrior eſt: mutant ambo colorem, ceu de hiſtoria animalium li. 8. tradit Ariſtoteles. Galenus de Alimentorum facultate lib. 3. Optimus, inquit, inter ſaxatiles delectationis gratia ſcarus eſſe creditur: poſt ipſum autem merule & turdi. Et Celfus ait: Saxatiles omnes leuiores ſunt & aluum mouent.

## IN CAPVT X.

IN Sarda.) Sarda piſcis eſt qui Græce trichias dicitur, bis anno pariens. Plinius li. 32. Pelamides longas ex Oceano uenientes eſſe dicit. Eius uerba ſunt h. c. Sarda, ita uocatur pelamis longa ex Oceano ueniens. Orietur autem ſarda ex ſardinis quæ trichiades, hæc uero ex membradis. Ariſto-

teles de Historia lib. 6. ait: *Quam uero phalericam uocant, membradas gignit, ex quibus sardine, ex sardinis sardæ oriuntur.*

**Cordula.)** *Qui piscis sit cordula, docet nos Aristoteles li. de Historia animalium tertio cum ait: Cum Thynni in Ponto pepererint, procedunt ex ovo, quas alij Cordylas uocant, Bizantij auxumas nominant, quia diebus paucis adoleſcunt, quæ ex eunt Ponto autumnò foetus comitantes, eodem autem redeunt uerno tempore, iam adeptæ eam magnitudinem qua limariæ nomen accipiunt. Et Plinius lib. 9. Thynni, ait, intrant è magno mari Pontum uerno tempore gregatim, nec alibi foetificant. Cordula appellatur partus, qui foetas redeûtes in mare autumnò comitatur. Limosæ uero à luto pelami des incipiunt uocari, & cum annum excessere tempus Thynni. Et lib. 32. idem ait: Cordula, & hæc pelamis pusilla cum in Pontum è mæotide exit, hoc nomen habet.*

**Teritur pulegium cum piperis.)** *Legendum puto, teritur pulegium, cum inum, piperis.*

**Operculo.)** *Hoc est, testu, de quo dictum est in præcedentibus.*

**Allego.)** *Legendum, alece.*

**In uasculo.)** *Ceu lance seu alio simili.*

**Piper, ligusticum, mentham aridam &c. usq; ad id, ius in cordula assa.)** *Hæc omnia ex uetusto exemplari adscripsimus.*

IN CAPVT XI.

**IN mugile.)** *Mugil qui uulgo Cephalus, Græce Cestreus appellatur, piscis est littoralis, satis magnus, & candidus, omniumq; inter squammatos uelocissimus: cuius natura, ut li. 9. inquit Plinius, ridetur, in metu capite abscondito totum se occultari credentis: cuius rei & Aristoteles octauo de Historia animalium meminit dicens, Gulosus omnium maxime mugilis est atq; insatiabilis: quo circa, uentre distento grauescit, & nisi ieiunus sit hæret iners. Cum hic metuerit, caput abscondit, quasi corpus totum occultet. Nec ingenio caret. Nam, ut lib. 32. refert Plinius, scit mugil esse in esca hamum, insidiasq; non ignorat, auuiditas tamen tanta est, ut cauda uerberando excutiat cibos. Mugilum genera plura sunt. Chelones, quos Theodorus Labeones uertit, cæteris bonitate inferiores. Sargones. Mixones siue mixones quos idem mucones interpretatur, & à Plinio li. 32. ca. 4. banchi appellantur, cum ait: item banchi quem quidam myxona uocant. Cephalis siue capitones, mugilum generis maximi, & uulgo etiam à capitis magnitudine & granitate capitelli dicti, gustu præ cæteris laudati, authore Hicestio, à quo mugiles*

*mugiles omnes tanquam à digniori nomine sumpto appellatur Cephali.*

*Calua.) Hic & alijs locis legendum puto, Saluia. Est autem saluia herba nota, ex qua etiam uinum conficitur quod saluiatum uocatur, hoc modo ut docet Dioscorides: In musti amphoram saluie demittito drachmas octo. Facit ad renum, uesicæq; & lateris dolores, sanguinis excreationes, tussim, rupta, conuulsa, contusaq; & suppressos menses.*

## IN CAPVT XII.

*Siluro.) Silurus piscis in fluminibus priuatimq; in Nilo Thynnos in Smari præcipua magnitudine æquans. Hunc quidam sturionem esse putarunt, sed falso. Silurus enim maleficus & dentatus est, cum sturio neq; maleficus neq; dentatus sit. Plinius lib. 9. ait: Silurus grassatur ubicunq; est omne animal appetens, equos innatantes sæpe demergens præcipue in Mæno Germaniæ anne prope Lisboum. In cibo aluum mollit silurus è iure, eodem Plinio authore li. 32. Et li. 2. Dioscorides ait: Nutrit & bonam facit aluum recentis siluri cibus. Salsi contra non sentitur cibus, fauces tamen expurgat & aduocem expurgat. Item cum ceteri omnes mares suis sceminis sint præstantiores, Silurus scemina præstat suo mari.*

*Pelapide.) Legendum, Pelamide, Pelamidum genera plura. Plinius lib. 32. Pelamis, ait, earum generis maxima apolectos uocatur, durior tritone. Cibium uocatur concisa pelamis, quæ post quadraginta dies à Ponto in mæotin reuertitur. Cordula pelamis pusilla cū in Pontum è mæotide exit. Orcinos pelamidum generis maximus, neq; redit in mæotin, similis Tritoni, uetustate melior. Triton pelamidum generis magnus, ex eo uræa cibia fiunt. Est autem uræon, salsamentum caudæ proximum, authore Athenæo. Ceterum pelamis est multi alimenti & grauis: sed urinam cit, & difficulter concoquitur. Sale condita facilis aluo & attenuat.*

*Thynno.) Thynni pelamidum generis esse uidentur. Nam ut Aristoteles li. 6 de Historia animalium ait: Limarijs Thynni prouectiores ætate, annuo esse putantur uno. Et Plinius li. 9. Pelamides, inquit, cum annum excessere tempus Thynni uocantur. Hi membratim cefi ceruice & abdomine commendantur, atq; clidio recenti duntaxat, & tum quoq; graui ructu, cetera parte plenis pulpamentis sale asseruantur. Melandria uocatur cefis quernis assulis simillima. Vilißima ex hijs quæ caudæ proxima, quia pingui carent: probatissima ea quæ faucibus. Vbi sciendum est Clidium uocari inter thynni partes iugulum siue partem eam quæ pectus à ceruice discriminat. E Thynno salsamenta fiunt, & hæc duum generū, ut tradit Athenæus:*

Horea & thunnina. Horea qua à tempestiuitate uidentur nuncupata: ex pe-  
lamide, id est, limosa minore sunt, in quibus macra pinguibus præferuntur.  
Thunnina ex maioribus quas aliqui synodontidas appellant: in quibus pin-  
guia macris præferuntur. Quæ autem cibia dicuntur, inter macra ut inter  
pinguia cordyle. Est item thynnorum generis qui uocatur Pompilus, sic di-  
ctus, ut uolunt, quod naues è pelago ad portum usq; cū pompa deducere so-  
leat. Plinius, Thynni sæpe nauigia uel euntia comitantes mira quadam  
dulcedine per aliquot horarum spatia & passuum millia à gubernaculis  
non separantur, ne tridente quidem in eos sæpius iacta terrii. Quidam eos  
Pompilos uocant. Nautæ piscem sacrum appellant. Thynni in cibo graues  
sunt & multi alimenti. Damnantur in cibo cum utero ferunt, auctore Ari-  
stotele li. de historia 9.

## IN CAPVT XIII.

**I**N mullo taricho.) Id est, mullo falso. Mullus piscis est magnitudine  
modica, gemina barba in inferiori labro insignitus, à qua uulgo barbo-  
nem, & M. Varro Rei rusticæ lib. ultimo ad finem, barbatum mullum, &  
Græci geneatida, quod uero ter pariat in anno Triglen uocant. Olim etiam  
in precio habitus. De quo Plinius lib. 9. sic scribit, Ex reliqua nobilitate, &  
gratia maxima est & copia nullis: sicut magnitudo modica: binasq; libras  
ponderis raro admodum exuperant. Alga uescuntur & ostreis & limo &  
aliorum piscium carne: & barba gemina insigniuntur inferiori labro. Luta-  
rium ex his uilissimi generis appellant. Hunc semper comitatur fargus nomi-  
ne alius piscis & caenum fodiente eo excitatum deuorat pabulum. Nomen  
his Fcnestella à colore mulleorum calciamentorum datum putat. Pariunt  
ter anno. His certe toties foetura apparet. Mullum expirantem uersicolori  
quadam & numerosa uarietate spectari proceres gule narrant, rubentium  
squamarum multiplici mutatione pallescentem: utiq; si uitro spectetur in-  
clusus. M. Apicius ad omnem luxum ingenio mirus in sociorum garo (nam  
ea quoq; res cognomen inuenit) necari eos præcellens putauit, atq; è iecore  
eorum alecem excogitare prouocauit. Vnde li. 32. ca. 8. idem Plinius ait: Sic  
alex peruenit ad ostreas, echinos, urticas, cantharos, mullorum iocinora.  
Vnde hunc gulosorum luxum taxans li. 3. questionum Seneca ait: Parum re-  
cens mullus nisi qui in conuiuio manu moritur. Vitreis ollis inclusi offeruntur,  
& obseruatur morientium color, quem in multas mutationes morte lu-  
ctante spiritus uertit, alios necant in garo & condunt uiuos: ad hoc fastidium  
peruenere uentres delicatarum, ut gustare non possint piscem, nisi quem in  
ipso

ipso conuiuio natantem palpitantemq; uiderint: ad mortem nulli concurrunt: nihil nullo moriente formosius: non sunt ad popinam dentibus & uentre & ore contenti: oculis quoq; gulosi sunt. Nulli sunt leues & boni succi ac medij inter teneros durosq;, authore Celso. Et Paulus Aegineta inquit, Ac in æquore quoq; nullus uersatur, cæteris piscibus & durior & fragilior, coctu facilis, mensis idoneus, prædulcis, pinguedinis expers.

Sine falso.) Lego, in falso, id est, in falsamento.

Formella.) Hoc est, ut Columella lib. 7. de caseo faciendo uocat, forma. Est autem uas ad rei alicuius figuram effigiatum, ut hic ad piscis similitudinem formatum.

Redde fundes.) Lege, redde, liquamen fundes. Quod deinde sequitur falsamentum, ex uetusto exemplari adscriptum est.

Spicam allij.) Spica in allio uocantur nuclei, hoc est, diuisiones ille, quæ singule nouam instaurant sobolem consista, Marcellus medicus cap. 24. grana uocat, eius uerba sunt hæc. Allij umbilicum quo grana continentur, atq; ubi radices in herent, cum ipsis radicibus.

## IN CAPVT XIII.

Embractum baianum.) Legendum puto emphractum, ut intelligatur de opsonio quod rebus inuicem mixtis & coactis obduratisq; ob condensationem quasi fartum & coagulatum appareat. Emphraxis, id est ἔμφραξις nãq; oppilatio, repletio & obduratio est. Baianum autem dictum quod Baijs ita fieri consueuerit.

Sphondylos.) Sphondyli è testaceorum genere pisces sunt, duram habent carnem, mensis tamen non inconueniunt, licet difficilis etiam sint concoctionis, authore Paulo Aegineta. Dicitur etiam sphondylus, callosum illud rotundum albicans, quod intus habent in medio ostrea, à similitudine sphondyli id est uerticuli instrumenti quo mulieres in filando utuntur. Nam reliqua caro circumsparsa, lacinia dicitur.

Careotam.) Hic & alibi apud Apicium nostrum ubi inter liquores reperitur hæc dictio, pro ea lege, carenum.